THESES THEOLOGICÆ EX TRACTATU DE INCARNATIONE SELECTÆ QUAS...

Gaspare Fabri, Liberale Onzelt

[illegible]

DE [illegible]

[illegible]

BENEDICTO DE LU[illegible]

[illegible]

LIBERALI [illegible]

Seminarii Tarvisini Alumnus

[illegible]


G[illegible]

CONCORDIENSIS

[illegible] Sacrae Theologiae Professori.

D. D. D.

[illegible]



TARVISII, MDCCXLVIII.

Typis Gasparis Piantæ Typographi Episcopalis.

SUPERIORUM PERMISSU.

ILLUSTRISSIME, AC REVERENDISSIME PRÆSUL,

SI ullum unquam opus fuit, Præsul Illustrissime, in quo Divini Numinis potentia eluxerit, hoc certe fuit magnum illud Sacramentum, de cujus reconditis divitiis hodierna luce non meo quidem consilio, sed tua in me nimium propensa voluntate, disputationem aggredior. Quid enim altius, quid sublimius, quam mirabilis illa Divinæ, humanæque naturæ conjunctio, qua Verbum infinitum abbreviatur, immensum angustissimis corporis terminis circumscribitur, immortale denique morti subjicitur! Vos

testes appello, quotquot adestis Auditores sapientissimi. Dicite per vestram fidem, ubinam sint humanæ mentes tanto ingenii acumine prædita, quæ secretum hoc ineffabile, quod ipsos etiam Angelos latet, *Divina non opitulante revelatione fuerint assecutæ? Ecce Mysterium jam creditur, nulla tamen ratione comprehenditur, haud satis etiam cognoscitur. Hæc cum ita se habeant, fateor ingenue fateor, ut me primum huic de Incarnatione exercitationi designatum intellexi, ab alto quasi somno excitatus arma cepi pavens, ac tremens meque ad pugnam utcunque adornavi more hominis fato cedentis. Jam tum optime cognoscebam, hanc mihi demandatam provinciam meis humeris imparem prorsus fore, ac tenuitatis non esse meæ tam magnum subire periculum. Adsum tamen animo, & timorem, si quem habui, jam depono. Jubet enim, alacri esse animo, tuus sapientissimi Præsulis adspectus, & patrocinium, cui nihil est familiarius, quam plurima in diem humanitatis signa proferre. Cujus virtutes, cum jam omnibus pateant, nec ut clariores fiant, ac celebriores alienas laudes requirant, non est, cur mea oratione recenseam. Quanta in te sit optimarum artium, ac disciplinarum cognitio, illa ipsa testatur, in qua constitutus es, præstantissima dignitas tuæ sapientiæ præmium, atque virtutis. Quo præditus consilio sis, qua mentis sagacitate, ea testantur omnia tot salebris, difficultatibusque impedita, quæ tam celeriter expedis, quæ tui muneris cura, studium, sollicitudo, innumeri testantur labores illi, quos nulla temporum ratione habita frequentissime suscipis, & libentissime. Sentio jam, Præsul Amplissime, at cætera persequar, modestiam tuam omnino non pati; qua tamen illud jure prorsus assequeris, ut eo plus laudis merearis, quo magis laudari recusas. En illud, in quo conquiesco, & minus ægre prurientem calamum venerationis caussa cohibeo.*

EX

EX PARTE DOGMATICA.

I.

Auguſtiſſimum Incarnationis Myſterium, quod totius religionis catholicæ baſis eſt, ut a pertinacia Judæorum, ſophiſmatibus Gentium, & Hæreticorum impudentia, erroribus eorum convulſis, vindicemus, has ſequentes Theſes exponimus.

II.

Vaticinium Jacobi Geneſ. 49 v. 10. dicentis: *Non auferetur ſceptrum de Juda, & Dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit EXPECTATIO GENTIUM*, Meſſiam deſignat, & in Chriſto fuit undequaque adimpletum.

III.

Ii ſunt characteres in prophetia Danielis cap. 9. v. 24, ubi dicitur: *Septuaginta hebdomades abbreviatæ ſunt ſuper populum tuum, & ſuper urbem ſanctam tuam, ut conſummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur juſtitia ſempiterna, & impleatur viſio, & prophetia, & ungatur SANCTUS SANCTORUM &c.*, ut ſoli Chriſto competant, & omnia ibidem prænunciata in eodem evenerint.

IV.

Gloria Templi minori, quam primum, cum magnificentia reædificati promiſſa a Deo per Aggæum cap. 2 v 8 dicente: *Et movebo omnes gentes, & VENIET DESIDERATUS cunctis gentibus; & implebo domum iſtam gloria*; jam tunc, cum Chriſtus venit in Templum, & in Simeonis ulnas fuit receptus, eluxit.

V.

Supponentes, iis de hujus adorandi Myſterii veritate argumentis convinci Ethnicos, quibus convincuntur de veritate Eccleſiæ, & Fidei Catholicæ, hic nullo pacto repugnare, nullamque efficacem rationem contra hujus non repugnantiam poſſe adduci, duntaxat oſtendimus

VI.

Impeti hoc Mysterium ab iis, qui Christo nomen dederunt, cognoscentes, ut juxta Scripturas, Concilia, & Sanctos Patres salvetur, duas naturas, alteram per identitatem, alteram per unionem physicam, & substantialem unitas in eodem Verbo, ita ut una sit Christi persona, unusque Christus, cum Ecclesia Catholica constanter contra Nestorium confitemur.

VII.

Nestorii hæresim voce duntaxat discrepantes e cineribus excitarunt Elipandus Toletanus, & Fœlix Urgelitanus, Christum esse Dei Filium adoptivum, prædicantes, quapropter pari constantia eamdem execramur.

VIII.

Posita illa physica, & substantiali unione humanæ naturæ ad Verbum, jam sequitur, sicut hic homo est Deus juxta regulas Dialecticas, ita B. Virginem, quæ est Mater hujus hominis, esse, ac vere dici Matrem Dei.

IX.

Declinantes ab errore Nestorii, ne in oppositum cum Eutychete labamur, duas esse in eadem Christi persona post unionem distinctas, inconfusas, ac impermixtas naturas, Divinam scilicet, & humanam, salvis utriusque proprietatibus, dogma Fidei esse, defendimus.

X.

Permanentibus in eo statu naturis, adhuc unio illarum est indissolubilis, & perpetua, & quamvis in triduo mortis aliquibus Patribus visum fuerit, Verbum tum ab anima, tum a corpore recessisse; tamen iis, salva, quæ debetur, reverentia, desertis, Verbum seorsim animæ in inferorum loco, & seorsim corpori in sepulchro unitum mansisse, veritas, si non dogmatica, saltem certa est, adeoque propugnanda.

XI.

XI.

Ea, quæ posuimus, plures hujusce Mysterii inimici admiserunt; sed ei detrahere aliquid non destiterunt; ex parte quidem corporis vel illud esse phantasticum, vel aereum, vel ex B. Virgine non assumptum jactitantes; quare solidum corpus, veramque carnem, & ex B. Virgine assumptam propugnamus.

XII.

Illa vero assumptio eo miro, ac stupendo prorsus modo operante Spiritu Sancto, contigit, ut perpetua, & inviolata Genitricis Mariæ sive ante partum, sive in partu, sive post partum Virginitas permanserit.

XIII.

Ut Filius Dei magis, ac magis carnis veritatem ostenderet, aliosque fines obtineret, defectus corporis, si non speciales, & ex singulari caussarum secundarum dispositione ortos, saltem communes, si corruptionem carnis post mortem excipias, assumere non est dedignatus.

XIV.

Ex parte quidem animæ illam non inesse, sed vices ejus Verbum gessisse, asserere ausi sunt; sed ea cum corpore eodem conceptionis momento assumptam fuisse, nulli Catholico dubitandi locus relinquitur.

XV.

Veritas animæ ex pluribus etiam passionibus, ut sunt dolor, tristitia, timor &c., quas *propassiones* cum Hieronymo, & Angelico vocamus, tanquam valido argumento demonstratur.

XVI.

Ut ex impermixta proprietatum existentia *veritas* naturæ humanæ magis eluceat, duas esse in Christo mentes, duasque cognitiones, alteram Divinam, alteram humanam, dicimus, & si descenditur ad conceptum scientiæ creatæ singularem, dari in Christo scientiam visionis, & scientiam infusam, veritas adeo certa est, ut aliqui rerum Theologicarum periti dogmaticam dicere non dubitaverint. Hinc

XVII.

XVII.

Facilis nobis aperitur via, qua ignorantiam earum rerum, quæ pro aliqua temporis differentia existunt, a Christo excludamus, atque eamdem omnium scientia præditum, licet nihil definitum fuerit ab Ecclesia, tueamur.

XVIII.

Duas pariter in Christo voluntates, alteram Divinam, humanam alteram, duasque operationes, alteram a Deo, alteram ab homine procedentes, quas Sancti Patres ob unitatem suppositi *theandricas*, seu *Dei-viriles* appellant, Ecclesia Catholica confitetur.

XIX.

Has operationes esse natura sua oppositas peccato, nemo non videt; sed quia Lutherus, Christum aliquando peccasse, ea, qua solitus fuit, temeritate jactitavit, nos, eum non solum nulla unquam peccati labe maculatum fuisse, sed neque ullam peccati umbram potuisse committere, fidentissime pronunciamus.

XX.

Eas etiam operationes ita veras, & proprias fuisse, ut iis Christus non metaphorice, & improprie, sed vere, ac proprie pro nobis Divinæ Justitiæ satisfecerit, & toto rigore nos redemerit, si pestilentem Socinianorum errorem excipias, nemo inficiatur.

EX PARTE SCHOLASTICA.

XXI.

GLoriam Dei esse finem mediatum, remotum, & ultimum omnium Divinarum operationum juxta illud Proverb. 16. *Universa propter semetipsum operatus est Deus*, extra disputationis aleam positum est: finem autem immediatum, proximum, & *sine quanon* Incarnationis tum quoad substantiam naturæ, tum quoadmodum passibilitatis esse Redemptionem nostram, sacra auctoritas efficaciter convincit.

XXII.

XXII.

Comparantes peccatum Originale cum actualibus probabilius judicamus, originale fuisse finem, *sine quo non* naturæ humanæ a Verbo assumptæ; cætera vero secundarium.

XXIII.

Incarnatio attentis omnibus attributis non fuit absolute necessaria in hypothesi hominis creati, sicut neque in hypothesi hominis lapsi utcunque reparandi; sed solum reparandi per condignam satisfactionem, & condignum meritum.

XXIV.

Fatemur, peccatum actuale mortale, quamvis sit secundum quid infinitum, scilicet quia terminat ad objectum infinitum; tamen neque sub ratione offensæ personalis Dei, neque sub ratione demeriti esse simpliciter infinitum.

XXV.

Nos ita fatentes, purum hominem utut summe sanctum, utut constitutum in caput morale omnium hominum, utut habentem appropriationem Spiritus Sancti, & gratiam etiam infinitam non posse præbere condignam satisfactionem pro peccato, ut est offensa personalis Dei, adhuc sustinemus.

XXVI.

Licet sit differentia multiplex inter satisfactionem, & meritum, adhuc præfatus homo non potest mereri de condigno remissionem mortalis, ut est offensa personalis Dei.

XXVII.

Supponentes in tractatu de Trinitate, non dari quartam subsistentiam communem tribus personis, & relationes secundum *esse ad* esse positive perfectas, asserimus, Verbum Divinum secundum id, quod dicit de relativo tantum assumpsisse immediate naturam humanam, adeo-

a deoque immediate etiam sanguinem, sicut & alios humores, quibus Corpus Christi constabat.

XXVIII.

In triduo mortis sanguis in resurrectione reassumendus fuit hypostatice unitus Verbo; aliquas vero particulas ejusdem in terra esse, & has non esse hypostatice unitas, tuto defendi potest.

XXIX.

Natura humana assumpta a Verbo retinuit propriam existentiam, subsistentia tamen ejusdem, quam suo modo constantem de fide credimus, non fuisse assumptam, consistit in negativo.

XXX.

Quamvis in ipso conceptionis actu omnium rerum pro aliqua temporis differentia existentium scientiam Christus habuerit; huic tamen Divinæ ea quoque notitia, quam affert experientia, non fuit aut ab initio, aut pro aliqua temporis opportunitate infusa; sed juxta profectum ætatis accessit.

XXXI.

Duplicem unctionem de eodem Christo prolatam legentes in Sanctis Patribus, illum fuisse formaliter Sanctum sanctitate increata, contra non paucos Theologos affirmamus.

XXXII.

Gratia creata in anima ejusdem non fuit infinita; ea tamen juxta illum plenitudinis gradum infusa fuit, ut si naturæ capacitatem, & potentiam Dei ordinariam consideres, non potuerit augeri; attenta vero virtute obedientiæ, & potentia ejusdem Dei extraordinaria potuerit in infinitum excrescere.

XXXIII.

Præceptum moriendi in Christo Domino fuisse non improprium, seu consilium, sed verum, & proprium: non præcise pœnale, sed obli-
gans

gans in conſcientia: & quidem independens a conditione acceptationis, petitionis, diſpenſationis, & manifeſtationis, adeoque præceptum numeris omnibus abſolutum Scripturis, & Patribus, ſi nonnullos excipias, ſententia conformior eſt.

XXXIV.

Libertatem moriendi, & non moriendi fuiſſe in Chriſto non ſolum a coactione, ſed etiam a neceſſitate: non ſolum remotam, ſed etiam proximam, & expeditam: non ſolum in ſenſu diviſo, ſed etiam in ſenſu compoſito præcepti: non ſolum quoad circumſtantias hoc, vel illo tempore, hoc, vel illo modo, hoc vel illo loco, ſed etiam quoad ſubſtantiam mortis: & libertatem quidem indifferentiæ undequaque perfectam defendimus.

XXXV.

Chriſtum ut hominem non ſolum fuiſſe impeccabilem eo modo, quo Deus dederit illi auxilia ſemper prævisa congrua; ſed etiam fuiſſe impeccabilem abſolute, & antecedenter vi unionis hypoſtaticæ tum in ſenſu compoſito, tum in ſenſu diviſo unionis, etiam ſeorſim a viſione beatifica, probabilius judicamus.

XXXVI.

Hæc ita defendentibus non redditur nobis difficilis ille nodus, *ſi eſt impeccabilis, quommodo poteſt libere non mori? Exiſtente enim mortis præcepto obligante in conſcientia cum impeccabilitate, infertur neceſſitas moriendi. Si poteſt libere mori, quommodo eſt impeccabilis? Exiſtente enim libertate cum præcepto illo obligante ad mortem, infertur potentia peccandi*; Hæc enim tria ſcilicet impeccabilitas, libertas non moriendi, & præceptum obligans in conſcientia conciliantur in Chriſto per duplicem poteſtatem, alteram ordinariam ligatam præcepto, alteram extraordinariam non ligatam præcepto, adeoque ſecundum ordinariam debuit mori, ſecundum extraordinariam potuit honeſte, & laudabiliter non mori.

XXXVII.

Si ſupponatur cum communi Theologorum ſententia duplex poteſtas in Chriſto, altera particularis, quæ titulo unionis hypoſtaticæ

illi

illi competit, altera communis cum omnibus hominibus, libertas Christi etiam respectu præceptorum naturalium, quæ in aliqua circumstantia possunt cohonestari, quamvis fere omnes Theologi, teste Tournely tom.4. quæst.1. pag 367., usque ad nostra tempora eam negarint, potest facile explicari, scilicet secundum potestatem communem ligatam præcepto tenebatur obedire; secundum vero particularem non ligatam præcepto poterat honeste, & laudabiliter facere oppositum.

XXXVIII.

Opera Christi seorsim ab acceptatione Dei, & in seipsis considerata fuerunt valoris condigni: superabundantis: immo simpliciter infiniti.

XXXIX.

Hic autem operum valor fuit sufficiens ratio, ut Angelis conferri potuisset gratia, qua starent, & ne laberentur; tamen illis non meritorum Christi, sed solius liberalitatis titulo collata fuit.

XL.

Sanctos Patres magni nominis non paucos Christum vocasse Servum Dei secundum humanitatem, dissimulare non licet; sed si Adriano I. Pontifici, & Synodo Francfordiensi adhæremus, sicut Scripturæ novi Testamenti nunquam nomine Servi Christum indicarunt; ita neque nos unquam Redemptorem nostrum Servum audebimus appellare.

FINIS.